

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Specimen Inaugurale Academicum, Sistens Luem
Animarum Boehmisticam, ubi ostenditur, quanto cum
animarum periculo Jacobi Boehmii, Sutoris Görlizensis,
scripta planè fanatica vel amentur & legantur, ...**

Wild, Adam

Altdorfii, 1705

II.

urn:nbn:de:bsz:31-105875

doctrinam, quâ in omni divina notitia & virtutum genere illuminetur, sedulo inculcat: & (γ) unionem inde cum DEO, seu summo bono, promittit, in quo per firmam animi fiduciam acquiescat, præcæteris excoluit Dionysius ille Areopagita, scriptor adulterinus, ad IV. sec. finem & V. initium pertinens; sed tantâ laborat obscuritate, quantâ etiam hodierni Mystici.

II. Cùm Scholastica Theologia omnem pietatem videretur unice per controversias inutiles & plerumq; nocivas, verbales, rixosus tractare, ex odio abusus Theologia Scholastica, revocatâ Theologia Mystica, in alterum extremû delapsi sunt quidam ejus Professores, existimantes, aut contingere Spiritum S. homini antè verbû exteruum per ipsius præparaciones, anime purgativas ac dispositivas, aut ex solâ Scripturæ lectione, seposito omni humano eodemq; organico studio, Spiritus illuminationem expectari, & hoc pacto ita hominem DEO uniri, ut deificetur, & ad DEI essentiam, ex quâ primitus effluxerit, redeat.

III. Illicite ab externo, libero & Christiano Magistratu politico ordinato cætu (cùm modernus sit Babelicus & Anti-Christianus) segregaciones, & peculiare istiusmodi conventus, (cùm Ecclesia non debeat esse certo ordini, legibus, horis & institutis alligata) quocunque pacto instituti, plenum inducunt Separatismum, quem adamant Mennonistæ, Schwenckfeldiani, Bœhmistæ, Labadistæ, Borignoniani, Quackeri & alii.

IV. Privatos pietatis conventus, in quibus salutaris vel legendo literas & librum alium utilem atque sanum, vel colloquia de rebus piis ac devotis instituendo, Christianismus exerceatur, & DEUS T. O. M. debito modo collaudetur, non parum utilitatis habere, & morem spernendum non esse, putamus, si abusus possit & discordia docentium evitari. Id verò si obtineri nequeat, ea via eligenda est, quâ veritati pariter & paci prospicitur, ut rectè judicat B. Schomerus in Præf. Lib. de Collegiat. non dissentiente consummatissimo Theologo Rostochiensis, Dn. D. Fechtio; quod etiam suo exemplo comprobavit celeberrimus Theologus Hamburgensis, Wincklerus, b. m. privata pietatis, ut vocant, collegia, animadverso eorum abusu & offensione, inde enascente, prorsus abrogans.